Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31491
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Johanes 3

no habebitis vita in vob. Qui manducat mea car-
nem et bibit meu sanguinem habet vita eterna et ego
resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim
mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.
Qui manducat mea carne et bibit meu san-
guinem in me manet et ego in illo. Sicut misit me
viuens pater et ego viuo propter patrem et qui manducat
me et ipse viuet propter me. Hic est panis qui de celo
descendit. Non sicut manducauerunt patres
eorum manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in
eternum. Hec quecumque dixit in synagoga docens in capernaum.
Quidam ergo cum audissent ex ipsis dixerunt. Durus est hic sermo
quis potest eum audire. Sciens autem ipse apud semetipsum quia murmurant
de hoc discipuli eius dixit eis. Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis filium hominis
ascendentem ubi erat prius. Spiritus est qui viuificat. Caro non prodest
quicquam. Verba quae ego locutus sum vobis spiritus sunt et vita sunt.
Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio
Iesus qui essent non credentes et quis esset traditurus eum. Et dicebat
propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a patre meo. Ex hoc multi
ex discipulis eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus
ad duodecim numquid et vos vultis abire. Respondit ei Simon Petrus. Domine ad quem
ibimus verba vite eterne habes. Et nos credidimus et cognouimus quia tu es filius dei.

Capitulum vij. Ihesus autem dixit ad eum
Iudeis. Quis ex vobis arguet me de peccato. Si veritatem dico quare non credatis mihi.
Qui ex deo est verba dei audit. Propterea vos non audistis quia ex deo non estis.
Respondentes Iudei dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es tu et habes
dyabolum. Respondit Iesus. Ego dyabolum non habeo sed honorifico patrem meum et
vos inhonorastis me. Ego autem non quero gloriam meam. Est qui querat et iudicet.
Amen amen dico vobis. Si quis sermonem meum seruauerit non videbit mortem in
eternum. Dixerunt ergo Iudei. Nunc scimus quia dyabolum habes. Abraham mortuus est
et prophete et tu dicis. Si quis sermonem meum seruauerit non gustabit mortem in
eternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est. Prophete
quem te ipsum facis. Si ego glorificauero me ipsum gloria mea nihil est. Est pater meus
qui glorificat me quem vos dicitis quia deus noster est. Et non cognouistis eum.
Ego autem scio eum. Et si dixero quia non scio eum ero similis
vobis mendax. Sed scio eum et sermonem eius seruo. Abraham pater
vester exultauit ut videret diem meum. Vidit et gauisus est. Dixerunt
ergo Iudei ad eum. Quinquaginta annos nondum habes et
Abraham vidisti. Dixit eis Iesus. Amen amen dico vobis. Antequam
Abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides ut iacerent
in eum. Ihesus autem abscondit se et exiuit de templo.

Capitulum viij. De muliere. Et abiit